



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Buchaugia vel Buchovia, Bucau/ ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

ris, gratiam suam & omne bonum. Ob sacræ religionis reverentiam, quam tenemur speciali gratia prævenire, tam futuris, quam præsentibus volumus esse notum, quod quicquid vel quantumcunq; religiosis personis, Abbatissæ & conventui & cleris in monasterio Godenzelle Cisterciensis ordinis, de feudis, quæ tenentur ab Imperio, vel aliis proprietatibus quibuscunque usque ad centum marcarum valorem per quoscunque donatum vel legatum fuerit, de nostræ procedat beneplacito voluntatis, præsentium testimonio literarum. Datum Ulmæ VII. idus Januarii, Indiæ. XI. anno Domini 1283. regni nostri anno decimo.

BUCHAUGIA vel Buchovia, Bucav / Canonissarum seu monialium nobilium ac antiquo stemmate majorumque imaginibus conspicuarum, ab omni tamem ordine, professione ac voto imminutum ac prorsus liberarum, collegium potius, quam cœnobium in Suevia, ad ejusdem nominis amœnissimum lacum, quem vulgo liberum lacum, vel plumarum lacum *Seedersee* vocant, non procul à Biberaco, urbe Imperiali, in Suevis situm: in quod astumi solent tantum Comitissæ & Baronissæ, quæ ibi sub Abbatissâ pudice & probe educari, ad pietatem & virtutem informari, postea nobiles & ambitæ aut expectitæ egredi iterum & honeste nubere solent, quod omnibus concessum & liberum, soli Abbatissæ propter acceptam Pontificiam benedictionem, ut vocant, integrum non est. Iccirco non moniales, sed expectatrices potius, & domus ipsa non monasterium, sed honestissimæ disciplinæ magis domicilium ac sacrarium (ut erant omnia olim cœnobîa) nominari debebat. Id inquam amplissimum ac pulcherrimum collegium fundatum legitur in honorem sanctorum Cornelii & Cypriani à Domina Adelinde, Hildebrandi, potentissimi Suevorum ducis filia, Hildegradis Reginae & Campidonensis fundatricis sorore, Comitissæ vero Ottonis à Kesselburg in Blanchina valle circa Biberacum habitantis relicta vidua, quæ ibi sepulta est.

Monialibus Buchaviensibus nubere concessum.

D. Adelindis, Hildegardis Reginae Soror.

Tota foundationis historia sic se habet. Imperabat Suevis ante annos octingentos, Pipini Galliarum regis temporibus, po-

tentissimus quidam rex, Marsilius, Laureaci in ducatus Wirtem-
 bergensis praevidite coenobio sepultus. Is Pipinum, Galliarum *Lorch*
 regem, a Stephano secundo Pont. Max. in Italiam contra Lon- *coenobi-*
 gobardos provocatum, ac iccirco armata manu Romam pro- *um.*
 fectum sequutus, strenue se ibi gessit in expugnandis Longobar-
 dorum munitionibus & invadendis sternendisque aciebus. Post
 adeptam ex Longobardis victoriam & servatam Romam a tyran- *Longo-*
 nide Haistulphi, Longobardorum regis, duxerunt Pipinus ac *bardi a*
 Marsilius inter alios captivos ac datos obsides, duos etiam egre- *Marsilio*
 gios juvenes, Bonosium ac Sophonium, Ruffonis Longobardici *superati.*
 cujusdam reguli, aut, ut aliqui volunt, Graeci alicujus Comitis
 de Tragento (qui in hoc ipso bello occubuerat) filios secum in
 Germaniam. Sophonium decem annorum puerum Pipinus
 sibi vendicabat: Bonosium, uno anno majorem natu, Marsilius *Bonosius,*
 apud se retinuit, & in Laureacensi cenobio sacro baptisate ab- *Comes.*
 lui fecit. Hic adolescens omnibus Sueviae incolis nullo jam
 alio nomine notus erat, quam quod nuper baptisatus Comes ap-
 pellaretur undique. Quia vero egregia ex puero virtus eluce-
 bat, charissimus erat principi Marsilio Bonosius, qui cum suc-
 cessu temporis una cum aetate proceram etiam staturam, egre-
 gium corporis robur, rerum item bellicarum non vulgarem pe-
 ritiam consecutus esset, omnibus totius regni, cum summis, tum
 infimis admirationi fuit.

Venerant tum recens in Germaniam e Roma nobilissimi *Comitum*
 Comites Montisfortis. Horum unius filiam quandam dedit *Montis*
 Marsilius Suevorum rex huic ipsi Comiti Bonosio in uxorem: *fortis in*
 dotis vero loco provinciam illam, quae Lacui plumario & Bibe- *Germaniam ad-*
 racensi pago vicina erat. Peractis regia pompa & solenni appa- *ventus.*
 ratu nuptiis, prodibat aliquando Bonosius cum sponfa sua
 Domina Montfortia, ut quaereret locum aedificandae aerei ido-
 neum: quem cum in densis nemoribus invenisset commodissi-
 mum, dixit inter alia charissimae nuptae suae: O bella, o chara
 mea & dulcissima animula, si Dei bonitate & misericordia in
 promptu jam nobis essent opes & pecuniae, quas Tragenti cha-
 rissimus pater meus terrae infodit, cum videret oppugnari ur-
 bem

Bonosij

Chronologia
 Monasterio
 in Germaniam
 S. III

bem ac dulcissimam patriam suam, quam ego nobis vellem in hoc ipso amœnissimo tractu bellam extruere arcem, quæ post-
 ris nostris domicilium esset, & sedes, & habitatio. Cui mox eti-
 am, in honorem æternæ ac omnipotentis Triados, egregie orna-
 tum Templum adjicerem pro gratiarum actione, quod me tam
 clementer illa misericordiæ suæ oculis aspexerit, & extinctis
 meis omnibus non superstitem solum esse me passa est: sed fecit
 etiam, ut sacro Baptismate æternæ ipsius Ecclesiæ infertus, jam
 illum agnoscere cœperim, à cuius notitia omnis pendet vita, sa-
 lus, ac felicitas mortalium. Has voces cum audisset Montfor-
 tia, consolata est Bonosium suum, ac animo hilari eum inchoa-
 re jubet in nomine agniti æterni ac misericordis Dei cum arcis
 tum Templi constructionem: Deum dubio procul dubiis cona-
 tibus non defuturum, & eum (qui vitam ac alia meliora dedisset)
 vere etiam cætera non negaturum, quibus opus esset in hac
 mortali vita. Talibus ultro citroq; habitis sermonibus in no-
 mine Christi locum inventum accedunt, & fodere incipiunt fir-
 ma spe certi subsidii divini. Cumq; foderent pio bonoq; stu-
 dio, invenerunt favente Deo mox ahenum sive caldarium am-
 plum, ingens & capax, pecuniis, auro, & argento plenum. Hi-
 lares itaque Deo gratias agunt, & arcem una cum Templo eri-
 gunt, cui titulum ac nomen indunt ab invento lebeate, totumq;
 adjacens territorium suum, Caldariensem sive *Kesselburgensem*
 Comitatum appellant. In hac ipsa arce Montfortia herois eni-
 xa est Bonosio suo primum filium Beronem. Condidit idem
 vero Bonosius mox Warthusense etiam in hac ipsa vicina ca-
 strum. Aliud de ipsis invenitur in literas relatum nihil.

Kesselburg, vel arx Caldariensis, unde dicta.
 Beronem, filium Bonosii & Montfortiæ, ducta uxore nobili puel-
 la de Bodmen, pater quatuor filiorum *Clingoldi, Hussoni, Tallatarii,*
 & *Birvidonarii*, duarumq; filiarum, *Per sine & Berillines*, fa-
 ctus est. Hos omnes à primaria arce *Kesselburgenses* Comites
 tota appellavit circumjacens vicinia, fortes ac strenuos bellato-
 res, totius circumiacentis provinciæ defensores acerrimos, Re-
 gibus ac Imperatoribus gratos. Horum unus Tallatarius uxo-
 rem ducens Comitissam Hillermontanam, filium Godefridum
 genuit,

*Gratus a-
nimus in
Deum, pro
baptisma-
tis benefi-
cio acce-
pro.*

*Thesaurus
divino be-
neficio in-
ventus.*

*Kessel-
burg, vel
arx Cal-
dariensis,
unde di-
cta.*

*Barthau-
sen.*

*Bero, Bo-
nosii filius.*

*Comites
à Kessel-
burg.*

genuit, Comitem Kesselburgensem : is postea ex Andecensi Comitissa Bavarica Hattonem vel Othonem filium suscepit. Iste sive Hatto sive Otho, Comes Caldariensis, ex ephebis egressus, strenuus ac egregie exercitatus juvenis, Dominus opulentus ac potens, qui vicinis etiam Principibus prudentia & consilio suo proderat saepe, potentissimi Svevorum Ducis Hildebrandi, & Dominae Regardae, Bavarorum Ducissae, nobilem ac illustrem filiam, Dominam Adelindin, in arce Andechs natam, sororem Hildegardis Reginae (quae Carolo Magno desponsata fuerat) uxorem duxit : quae quatuor ei filios peperit, egregios juvenes, Comites Kesselburgenses, *Beringerum, Reginolphum, Gerbardum, & Hattonem.* Accidit vero, ut lustris aliquot labentibus irruerent in Germanias Hunni, effera ac omnino barbara gens, minitans Germaniae extrema omnia. Ibi admoniti a Carolo Magno Germaniae Principes prodeunt obvii Hunnis. Commissum est autem ingens praelium prope Biberacum, in quo Otho iste, Comes Tragentinus & Caldariensis, cum tribus filiis Beringero, Reginolpho, & Gerharo inter caeteros fortiter pro defensione patriae occubuit. Locus ipse, in quo pugnatum est, postea Vallis planctus a planctu Dominae Adelindis & accolarum (qui suos ibi amiserant charos) cognominatus est, quem hodie adhuc corrupta voce Planchinam vallem accolae appellant. Atto vel Otho, quartus filius Comitis Othonis & Dominae Adelindis, religioni deditus ac diaconus factus, paulo post moerore animi contabuit. Fufis vero Hunnis, & ex Germania virtute Caroli Magni eiectis, Domina Adelindis trucidata mariti ac filiorum corpora collegit, & in sempiternam eorum memoriam Buchovienfe monialium Augustinianae primum professionis coenobium fundavit, in cuius templo maritum cum filiis honorifice sepeliri fecit. Ipsa postea taedio & odio vitae, redditis Deo omnibus bonis, possessionibus, & facultatibus suis, mundo in univfersum valethcens, prima sui coenobii facta est gubernatrix, in quo mortua tandem honorifico Mausolaeo terrae parenti reddita est. Annumeratur Divarum catalogo propter insignem vitae ac morum innocentiam : festum ejus celebratur in die S. Augustini, hoc est,

I

28. Au-

Otho, Comes Caldariensis.

Hunni irrunt in Germaniam sub Carolo Magno.

Vallis planctus, vulgo Planchinam.

S. Adelindis Abbatissa.

Bruchij

Chronologia
Monasterio
S. M.

S. Adelindis festum: Adelindis panes. 28. Augusti. Ea die solet in eius memoriam Domina Abbatisa distribuere per suas virgines, Comitissas ac Baronissas, omnis generis advenientibus & accurrentibus ex tota circumjacente regiuncula, cum suis tam etiam peregrinis & exteris, summo & intimo loco natis hominibus Panes Divæ Adelindis fundatricis filigineos: quod fieri solet in signi pompa, cujus ego etiam spectator fui anno 1548. cum distribuerentur panes quatuor mille.

Ludovicus Pius instauravit cenobium monialium Buchoviensium. Munderkingum. Riedlingum. Secundus præclarissimi hujus collegii fundator, & post primam eius incinerationem instaurator fuisse legitur Imperator Ludovicus Pius, Caroli Magni filius: qui donodedit huic ipsi collegio oppida, Magingam, vulgò Mengam, & Sulogow tunc adhuc villas, cum omnibus ad eas pertinentibus juribus, possessionibus, immunitatibus ac proprietatibus, anno imperii sui sexto, hoc est, anno Domini 821. Ejus donationis diploma habet hodie adhuc, & mihi legendum exhibuit Reverendissima ejus loci Abbatisa. Hæc oppida postea cum Munderkingo, Riedlingo, & aliis aliquot ad Austriacæ duces, & jure tandem oppignorationis ad Waldburgenses Dapiferos devoluta sunt, quorum adhuc hodie iussibus & imperio parent. Ejusdem vero Imperatoris Ludovici Pii autoritate & privilegio ab omni professione ac regula exemptum est Buchoviense cenobium: unde nunc liberum & immune ac imperatorum Canonissarum collegium dici solet. Post Adelindin quæ Abbatisæ præfuerunt, ignoratur omnino, usq; ad Dominam 2. *Irmentrudin*, Abbatisam Buchaugiensem, quæ legitur mortali vitæ valedixisse anno Domini 1021. Cui successit 3. Domina *Abharillis*, quæ sex annis præfuit, sub cujus item gubernatione plurimum diffluere cepit locus ille usq; ad Dominam *Juotam*. Abharillidi subrogata est communibus omnium Canonissarum suffragiis 4. Domina *Hildegardis* anno Domini 1027. quæ negligenter præfuit. Sub ejus gubernatione, secundum incendium (quo iterum periit totum ferè monasterium) natum est in Junio anni à nato Christo 1032. Inde fit, ut Abbatisarum (quæ Dominam Adelindin præter hactenus dictas sequuntur) ne quidem habeamus nomina ad annum usque Domini

1043. quo Imperator Henricus tertius, Niger, cognominatus, collapsum in cineres monasterium denuo restaurans, nobilem ac religiosam foeminam 5. *Domina Jutam*, alibi *Jutam*, & iterum ab aliis *Tutam* dictam, & huic Buchoviensi ac Lindaviensi Canonissarum congregationibus praefecit gubernatricem. Haec legitur ex hac vita ad immortalem emigrasse anno Domini 1051. cum laudabiliter praefuisset utriusque collegio annis octo. Successit huic & nobilitate & virtute illustris foemina 6. *Domina Gertrudis*, *Baronissa de Bindhardt*, sed quamdiu illa praefuerit, aut quae illam sint sequeutee, id intercidit & in oblivionem venit omne, tum propter varios bellorum tumultus, tum propter superioris temporis hominum incomparabilem ignaviam ac ruditatem, qui vel omnino nihil, aut certe paucissima annotarunt. Anno autem Domini 1223. electa est *Abbatissa Buchoviensis* collegii 7. *Domina Machildis de Buewenburg*, quae praefuisse legitur annis 24. & ex hac vita emigrasse anno Domini 1247. Huic postea annumerantur, sed per intervalla sequentes.
8. *Domina Adelheidis, Baronissa à Martorff*, quae obiit anno Domini 1303. Dedit coenobio vel collegio Buchoviensi nobilissima vineta Martorffensia.
9. *Domina Catharina, Baronissa à Stoffeln*, Hegoviensis, praefuit & Buchoviensi & Waldkircheni Canonissarum collegii, annis 26. Obiit anno 1329.
10. *Domina Anna, à Winberg Comitissa*, eligitur anno 1329. Praefuit annis 24. Valedixit huic mortali seculo in Octobri anni Christianorum 1353.
11. *Domina Adelbaidis, Comitissa de Lupffen*, eligitur mox mortua Anna Winbergensi. Quamdiu autem haec praefuerit, aut quando ex hoc seculo emigrarit, non est in fastis relatatum.
12. *Domina Anna, Comitissa à Ruseck*, obiit anno 1402.
13. *Domina Anna, Baronissa à Gundelfingen*, eligitur in *Abbatissam* & gubernatricem Buchoviensem anno 1402. Praefuit octo annis. Obiit anno 1410.
14. *Domina Agnes, Comitissa à Tengen*, praefuit 16. annis. Obiit anno Domini 1426.

Buchovij

Chronologi
Monasterio
Buchoviensi
S. III

15. *Domina Clara, Comitissa de Monteforti*, magnifica sui collegii illustratrix, & aliquot sacellorum fundatrix & conditrix, præfuit laudabiliter 23. annis, & mortalium hominum consuetudini valedicens ad superos migravit anno 1449.

16. *Domina Margareta, Comitissa de Werdenberg*, successit *Dominae Clarae Montfortiæ*. Præfuit laudabiliter 47. annis. Decessit ex hac ad aliam longe meliorem vitam anno Christianæ redemptionis 1496. anno ætatis suæ octogesimo.

17. *Domina Anna, Comitissa Werdenbergensis*, Germana soror *Dominae Margaritæ*, eligitur anno 1496. Præfuit septem mensibus tantum & plane decrepita valedixit huic seculo anno Domini 1497.

18. *Domina Barbara, Baronissa à Gundelfingen*, successit *Dominae Annæ Werdenbergensi*. Præfuit laudabiliter 26. annis. Munivit turribus & muro collegium suum, quod aliis etiam structuris exornavit. Obiit anno redempti orbis 1523.

19. *Domina Elisabetha, Baronissa de Alto Geroldissecko*, eligitur anno 1523. Præfuit 17. annis. Expulerunt eam seditiosi agricolæ anno 1525. Sed est pristinae dignitati ac sedi mox à Suevico foedere feliciter restituta. Hæc absolvit muros collegii, & alio insigni muro totum amplissimum spaciosissimumq; hortum circumduxit. Migravit ex mortali hujus vitæ lugubri & navisfrago pelago ad portum æternæ salutis anno 1540.

20. *Domina Margareta, Comitissa de Monteforti*, magnifica, procera, virtuosa ac humanissima principissa, eligitur anno 1540. Præest adhuc laudabiliter currente hoc Jubilæo. Fecit duos elegantissimos fontes. Habet sub se hoc tempore Canonissas sex, *Dominam Margariden, Baronissam à Geroldissecko, Dominam Clarannam, Comitissam à Furstenberg, Dominam Jacoben, Baronissam de Schwarzenberg & Alto Landisbergo, Dominam Sibyllam, Comitissam Montisfortis, Dominam Hugonis illustris Comitissæ filiam, Dominam Wandalbaram, Comitissam è semper libera Pincernarum à Limburg familia natam, ac Dominam Felicitatem, Comitissam de Alta Flamma*, insigni virtute ac morum elegantia præditas.

Est

Est in ea ipsa vicinia trans Lacum plumarium, infra celebratissimum Sueviæ montem Puffium, medio ferè, sed non recto itinere inter Riedlingum & Biberacum, Eremitarum S. Augustini monasterium, *Uthonis Wylerium*, quasi Uthonis villa dictum, quod fundatum est anno Christi 1450. à Bertholdo, Conrado, & Joanne, Nobilibus de Lapide, Equitibus auratis, in eo ipso cœnobio cum uxoribus ac liberis suis sepultis. Bertholdus fundator obiit anno 1473. Habuit uxorem primam Dominam *Clementiam* à viridi monte, secundam Dominam *Osannam Thimianam*, parentem duarum filiarum, Chunigundis, quæ Neydegkero cuidam, & Rosinæ, quæ Gulielmo à Rechberg nupsit.

Uthonis Wyler.

DVRRHONIUM (*Blaubewern*) quasi fons sive fontes, propter amplissimum ac admirandæ profunditatis fontem vicinum, ex quo Blavus fluvius aërii coloris oritur, jam vero mutata parum voce *Blauburnium* vel *Blabyrium* dictum, olim, antequam oppidum aut cœnobium ibi constructum esset, S. Joannis Baptistæ exiguum saltem Idolion, ab Anshelmo, Hugone, ac Sigibotone fratribus, Comitibus Palatinis Tübingensibus & Rugkensibus, conditum: nunc vero Divi *Benedicti* monasterium in ducatu Wirtenbergensi, magnificentum sane ac amœnissimum, duobus miliaribus ab Ulma, Sueviæ metropoli, pene in ejusdem nominis peramæno oppido situm, fundatum ac inchoatum legitur annum Christi circiter 1095. sub Urbano II. Pont. Max. & Henrico quarto Rom. Imp. ab Anshelmo patre, & duobus ejus filiis, Henrico ac Hugone, Palatinis Tubingensibus & Comitibus de Rugka, quorum hanc invenio Genealogiam.

Blaubewern.

Blavus fluvius.

Monasterium Wirtenbergense D. Benedicti.

Blaubewern
Chronologia
Monasterio
in Germania
S. III

